

v^o 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



MEMBRUM IV.

De

Altero conseqvente Unionis Personalis,
Communicatione Idiomatum.

Disput. XIII.
Respond. M.
Paulo We-
renberg, Fa-
cult. Philos.
Assess.

I. Ex *Unione Personali* sequitur *Communicatio*
Idiomatum, Chemn. c. XII. p. 74. a. seqq.

§. 1.

ET quidem tanquam effectus immediatus necessarius. Quia enim non naturæ nudæ sine proprietatibus in Unionem venerunt, factum est, ut statim inde secuta fuerit *Communicatio proprietatum*, atq; ita & hæ in *Communione* venerint. Hinc sicut *DEI filius* assumpsit veram humanitatem, ita etiam proprietates *Humanitatis* assumpsit; & vicissim, sicut *Humanam Naturam* per *ωερω* intimam tota plenitudo *Divinitatis* penetravit, ita etiam suas proprietates eidem communicavit. *Aliâ ratione denominationes Idiomatum & actionum*, ut Chemn. p. 74. a. & b. ait, post Unionem & ratione Unionis enunciantur & prædicantur de *Persona Christi*, quam si aut *Persona λόγος* esset (sicut ante Unionem hanc fuit) simplex sine *Carne*, aut si *humana Natura* in sese sola privatim subsisteret. Et paulò post pag. 75. Non vera est hypostatica Unio, ubi nulla prorsus vel est vel sit vel intercedit inter *Naturarum Unitarum Idiomata Communio* vel *Communicatio*, differentia *Naturarum & Unitati Personæ* consentanea & correspondens. Et qui fingit Unionem sine tali *Communicatione*, is & se & alios seducit.

§. 2. Hisce nõ refragantur illi *Theologi Orthodoxi*, qui *Communicationem Idiomatum liberam* appellant, & à singulari dispensatione divina totum hoc mysterium suspendunt, quod etiam ipse noster *Chemnitius* videtur non diffiteri cap. XVII. pag 107 §. Quedam verò posset & c. XXIII. p. 151. b. §. Quod scilicet *Divina Majestas*. pag. 150. a. §. Quicquid de toto *Inarnationis mysterio*.
A Di.



Distingvendū n. est inter ipsam Communicationem Idiomatum & inter dispensationem circa istam. Ipsa Communicatio in se spectata & prout de ea ex Scriptura sacra constat ac revelatum est, est necessarius effectus Unionis personalis, & hoc vult Chemnitius ac secum consentientes in eo omnes Orthodoxos Theologos habet, quod aut nulla sit aut non vera Unio hypostatica, ubi deest Communio & Communicatio inter naturarum Idiomata: Dispensatio verò circa istam Communicationem libera & est & talis etiam esse potuit. Non enim necesse fuit simpliciter, ut vel omnia vel eodem tempore, si in uno instanti ac puncto temporis communicarentur attributa. Et ad hanc solam dispensationem, libertatem istam restringunt Theologi in Controversia isthac: An uno proprio Divino communicato, etiam cetera omnia communicari, necesse fuerit? Item; An in uno instanti & puncto temporis, omnia communicata fuerint?

§. 3. Chemnitius prolixus ac multus non est in probandis hisce. Nemo enim ex Adversariis, cum quibus res ac negotium tunc Chemnitio fuit, ipsam Communicationem Idiomatum negatum ire vel saltem videri voluit, quamvis negaverint ex Unionem personalem esse causam Communicationis Idiomatum uti ex Sobnio in Exeg. A. C. ad art. 3. p. 398. cognoscere licet, Quia verè & hujus falsitas ex sequentibus oppido manifestabitur, idè potius voluit Communicationem hanc explicare, & quid ista sit exponere, quàm pluribus eam probare.

II. Hæc Communicatio proprietatum non est vel physica effusio vel essentialis transmutatio vel formalis exæquatio Idiomatum, sed *κοινωνία* Unioni hypostaticæ, quæ nec Confusionem nec separationem admittit, correspondens & consentanea. Chemn. p. 75. b.

§. 1. Ipsum Vocabulum Communicationis nonnullos offendit, quasi involyeretur Confusio, transmutatio aut exæquatio proprietatum, sed quia 1. hæc vis vocabuli hujus non est. 2. Sacra

1. Scri-

Scriptura id consentaneum est, 3. à *Veteri Ecclesia* receptum & frequentatum, ideò in *Torgensi Conventu* (1576. instituto, de quo *Hütter. in Concord. concord. c. XI. f. 84. seqq.* videri potest) post gravissimam deliberationem, Theologi istud retinendum ac usurpandum esse graviter censuerunt. *Chemn. p. 75. a. & b. 76. a.* Quæ omnia de *Communicationis* vocabulo tantùm intelligenda sunt, non de *Compositione* vocabulorum. De hac enim ita *Chemnitius pag. 81. b.* *Apud omnes Patres non extat ac ne apud Lombardum quidem totidē verbis illa Compositio vocabulorum Communicatio IDIOMATUM, sed Scholasticorum appellatio est ex diversis veterum Sententiis conflatā. Quod etiam approbat Menzerus in AntiMartinio p. 190. 191. de phrasi hac ita pronuncians. Ipsam locutionē κατὰ τὸ ἴδιον Communicatio Idiomatum, neq; hæcenus ego legi, neq; ullus mihi demonstravit in divinis literis vel antiquis Ecclesie Doctoribus sive patribus.*

§. 2 Ut verò quid termino huic Orthodoxi involvere, ejusq; beneficio exprimere voluerint, exactiùs constet, ante omnia cognoscendum est, tum quid propria & Idiomatica sint, tum quid *Communicatio*.

§. 3. *Propria* seu *Idiomatica* in latiori significato hinc accipiuntur. Non enim id tantùm quod præter *essentiam* subjecto accedit, hoc nomine in doctrina hæc venit, sed etiam, quod ipsam *Essentiam* subjecto largitur. Unde & *Damasceus in Dialect. c. 16. fol. 385. fac. 21* inter *ἡμεῖς μὲν πρὸς ὑπαρξίαν* & *ἡμεῖς μὲν πρὸς κατηγορίαν* inter subjectum ad existentiam & ad predicationem, distinguit, & ipsi *Philosophi Propria* in ea, quæ πρὸς κατηγορίαν dicuntur & quæ πρὸς ὑπαρξίαν talia sunt, dividunt. Ita *Hurtadus de Mendosa Disp. 6. Log. Sect. 5.* disputat, ad proprium pertinere omnem conceptum, qui de re constituta jam in suo esse essentiali formatur, sive ab *Essentia* distingvatur re ipsa, sive ratione. Præterea non ipsa tantùm *propria* sub *Idiomatum* voce hic involvuntur, sed etiam *Actiones* & *Passiones*, per quas proprietates sese exerunt ad *ὑποκειμένων* efficientiam, quod in secundo genere *Communicationis* usu venit: uti *Menzerus in AntiMart. p. 198.* & *Gerhard. in Exeg. §. 289. p. 1283.* id notaverunt, & imprimis *Schroder. de Communi-*

cat. Propr. θ. 24. Et quænam ista in specie sint Idiomata in seqq. juxta tria recepta genera, explicabitur. In genere de illis supra C. I. Aph. I. p. 119. quædam fuerunt observata. Hoc in loco de proprietatibus humanis s. humana Natura in Christo, repetendum est, esse illas vel Communes vel Individuales, quæ à Chemnitio nostro Idiomata quasi personalia appellantur, uti l. all. ostendimus. Nimirum inter Theologos disceptatur, ad quod Genus Communicationis Idiomatū illæ propositiones debeant referri. DEVS est unctus Ps. XLV. DEVS ascendit in altum Ps. LXIIX. 19. Dominus Davidis sedet ad dexteram DEI Ps. CX. 2. Si ad tertium Genus referre istas quis vellet, eum cogitare oporteret, ibi subiectum esse Humanam Naturam? In hisce verò propositionibus loco subiecti stare DEUS, DOMINUS DAVIDIS. Ad primam qui referunt, cogitare possunt, non αὐτοχρηστὰ sed proprietates Humanas, ibi predicari de DEO. Sed distinctione hæc adhibitâ omne hoc certamen transigi potest. Verum est; Non αὐτοχρηστὰ sed proprietates humana prædicantur de DEO incarnato in primo genere. Verum, quia dictarum propositionum Prædicata etiam proprietates humana Nature sunt, non quidem Communes illæ, quæ ex Nature hujus, ut natura est, constitutione pendent, & omnibus hominibus ex æquo conveniunt, sed quæ Individuales sunt, & huic soli nature competunt, & vel finita sunt, ut esse conceptum ex Spiritu S. esse ex Virgine natum, non per se subsistere; vel infinita, ut subsistere in personâ ἰδὸς λόγος, inhabitariâ tota plenitudine Divinitatis corporaliter, ungi oleo infinito, sedere ad dexteram DEI &c. rectè ad primum genus Communicationis Idiomatum & ipsæ referentur. Expedi etiam hic annotasse distinctionem inter Propria & Appropriata, cujus usus ad calumniarum à Calvinistis & Jesuitis nostræ Ecclesiæ affricatarum, absterisionem, multum prodest. Non semel tantum Chemnitius monuit; Propria non egredi sua subiecta, item; Unius Natura propria non fieri propria alterius nature c. I. p. 4. a. & b. c. XII. p. 75. a. c. XIV. p. 94. b. c. XXII. p. 137. a. & alibi. Vide Cap. I. Aph. V. §. 3. p. 119. Et non satis hoc inculcari in doctrinâ hæc potest. Aliud autem est fieri alterius Proprium; Aliud, appropriari alteri & esse appropriatum. Proprium est, quod ex natura subiecti & Essentiæ fluit & nun-

& nunquam ab eo divellitur: *Appropriatum* verò est, quòd per Unionem & *Communicationem* κατὰ συνδύασις alteri attribuitur, & licet realiter communicetur, nunquam tamen fit *Proprium* eius, cui *Communicatum* est. Sunt ergo & manent *propria*, quæ communicantur, & non cessant talia esse: Hoc tamen non obstat, quò minus etiam *appropriata* fieri possint, id quòd etiam ex natura probari potest ac solet per *Unionem animæ & Corporis*. *Propria animæ* non fiunt *propria corporis*, communicantur tamen corpori, & fiunt *appropriata*. Ita per *Unionem ferri & ignis* *propria ignis* non *propria ferri* fiunt, sed tamen communicantur ferro & fiunt *appropriata*, dum ferrum fit *calidum*, &c. Vid. *Schroderus in Sceptro Regali pag. 460.*

§. 4. *Communicatio* varias habet *species ac modos*, ut *Metaphysici* tradunt & *Theologi*, qui consulantur & ex illis *Gerh in Exeg. §. 174 p. 133. seq. Jacob. Martini in tr. de Commun. priorum. Item Schroderus in ejusdem argumenti Tractatu.* Hoc in loco obtinet ille modus qui inter *Substantias diversas* quidem est ac versatur, non tamen *separatas* sed *συνδύασις* s. *Unitas & conjunctas*, quæ intimam quædam *ἑνωσιν* se mutuò tangunt & complectuntur; & *κοινωνία* κατὰ συνδύασις vel κατ' ἑνωσιν appellatur, ac propugnatur à *D. Meisnero part. 1. Philos. Sobr. Sect. I, q. 2. p. 68. & seqq. D. Jacobo Martini & Schroder. l. all. D. Scharffio in Metaphys. Disput. XVI. q. I. p. 908. seqq.* In eo autem consistit quando id, quòd unius naturæ proprium est, absq; sui vel multiplicatione, vel transfusione alteri Naturæ unitæ tribuitur & tributum est ad communem i. possessionem ita ut *Divina* competant *Homini*, & *Humana* competant *DEO*, *πρωτως* per se & *naturaliter* quidem illi, cujus *propria* sunt & manent etiam; per *communicationem* verò & *personaliter* alteri cujus *propria* non sunt, nec unquam fiunt, 2. *Usurpationem*, quæ liberæ voluntatis est, & 3. *predicationem* quæ ex *Scripturis* petenda & juxta illas conformanda est.

§. 5. *Communicatio* autem hæc non equaliter se habet in hoc mysterio, sed uti *Communicatio* aliàs vel *active* vel *passive* dicitur, sicuti *membr. preced. III. Aph. I. §. 3.* notavimus: ita etiam pro

distinctâ generum Communicationis ratione, etiam distinctim de ea æstimari debet, quod in antecessum hîc cognoscendum est. In primo Genere sola Communicatio passivè dicta locum obtinet, ac non dationem, sed participationem vocabulum Communicationis ibidem significat. Uti enim Filius DEI assumit naturam humanam: ita etiam nihil ei datum est, sed participat & assumit saltem sibi naturæ assumptæ proprietates ac appropriat. In secundo Genere Communicatio, tam activè, quàm passivè dicta concurrat. Illa, quidem, dum Divina natura Humanæ naturæ, dat vim operandi Divinas actiones: Hæc verò, quando Divina sibi appropriat Humanas Operationes & Passiones. In Tertio autem genere sola Communicatio activè dicta habet suam sedem, quâ Divina Natura, humanæ naturæ dat ἀρχήματα, tanquam naturæ quæ perfici potest & etiam perfectionis indiga est. Quibus observatis & benè perpen-
 pensis facilè concidit apparens divortium Theologorum Orthodoxorū in doctrina de reciprocatione Communicationis Idiomatum, quâ alii negant, alii verò concedunt, uti videre licet apud Hutter. in F. C, art. II. p. 772. Gerhard. in Exeg. §. 261. p. 1358. Qui enim concedunt, in genere de Communicatione Idiomatum loquuntur, cum abstractione ejusmodi: Qui verò negant eam, illi ad modum respiciunt & maximè ad tertium genus Communicationis Idiomatum, ubi non est appropriatio sed Datio & Communicatio. Divina enim nature nihil datur, nec aliquid sibi dari necesse habet, sed ipsa assumit & appropriat sibi proprietates Carnis: Humana autem natura uti non assumit sibi Divinam naturam, sed assumitur à Divina, ita & non dat sed accipit à Divina naturâ proprietates, per quas perficiatur.

III. Communicatio proprietatum non est Verbalis sed realis, Chemn. p. 76. b.

§. I. Verbale esse vel Verbaliter tribui, uti Chemnitius ostendit, dicitur id quod titulo tenus, verbatim, nudâ appellatione, solo vocabulo, nuncupativè per ὀνομαστικῶν alicui tribuitur, quod revera ipsi

non adest, sed solum nomen commune habet. Taliter autem se non habet Communicatio Idiomatum, quæ non nudo nomine ac titulo constat, sed reali unione ac Communionem naturarum nititur, de qua dictum est *Membr. III. Aph. II.* id quod pluribus explicant ac probant, *Apolog. Form. Concordiæ contra Bremenses c. I. Gerbard. in Exeg. §. 177. p. 1316. Feuverborn. in $\alpha\chi\alpha\phi$. Dissert. V. §. 8. p. 113. seq.*

§. 2. Cautè verò Chemnitius inter τὸ Reale & Physicum seu Essentiale distingvit. Et si enim concedendum est: Omne physicum & essentiale etiam esse reale, tamen non est contrario sequitur, *Omne reale esse Physicum & Essentiale*, cum τὸ Reale latius sit, & ei opponatur, quod imaginariè sive secundum nomen tantum alicui convenit, sicut latius id exponit *Hütter, in Art. IIX. A. C. p. 768. seqq.*

§. 3. Nec turbare quenquam debet, quod Chemnitius per prædicationes s. modos prædicandi, Communicationem Idiomatum designet, p. 86. a. & passim, imprimis C. XIII. p. 82. b. Philippi definitionem adducat & approbet. Satis enim manifestum est ac liquet, eum non de nudis prædicationibus, cui res ipsa non subsit, loqui. *Non de solis phrasibus s. modis loquendi*, scribit p. 74. b. *aut de nudis prædicationibus h. l. agitur: Res enim non verba tantum sunt, quæ h. l. considerare jubemur &c.* Et paulò post. *Hæc omnia profectò non sunt, ut ita loquar, Verbalia, sed maximè realia, quæ certè piè cognoscenda & rectè explicanda sunt:* Nimirum *Luthe- rus* citatus à Chemnitio c. XIV. p. 93. b. ac *Philippus*, quos hic sequitur Chemnitius, per *Metonymiam*, ut *Schroderus in Sceptro Regali l. I. c. 3. pag. 20.* id exponit, non tam formaliter *Communicationem Idiomatum* definire, quam *animo discantis per prædicationem rem sub illa contentam offerre voluerunt.* *Propriè enim Communicatio Idiomatum non est prædicationem, sed eam antecedit, & parit, quia dici requirit inesse, & differunt ut prius & posterius naturâ. Aliud est definire Communicationem Idiomatum: Aliud est designare eam & ostendere in prædicationibus.* Hoc posterius facere voluit & fecit Chemnitius, non verò prius: Videatur *Gerbardus in Exeg. §. 180. p. 1319 & Gesnerus in Conf. Orthodoxa de Persona Christi, pag. 115.*

§. 4. Nihil igitur commercii hinc habet cum *Calvinianis & Jesuitis*, qui Communicationem Idiomatum tantum Verbaalem statuant, & licet multum rhetorice interdum ac realem appellent, tamen respectu hypostaseos tantum id concedunt, non verò respectu naturarum, & non plus vel minus hic concedit *Beza in Colloquio Mompelg. à se edito p. 157.* atq; ipse *Bellarmin. l. III. de Christo c. 9. §. secundò.* Quicquid etiam hic sibi loc. allegato imaginetur. Falsum autem hoc est. Non enim respectu hypostaseos, tantum sed etiam respectu ipsarum naturarum, Communicatio Idiomatum realis est, sicut Communio ipsa naturarum realis est, ut in precedentibus ostensum fuit,

IV. Communicationis Idiomatum certi & distincti gradus dantur. *Chemn. p. 77. a.*

§. 1. Hinc præ cæteris observandum est, ante *Chemnitium* non ita distinctè de *Communicatione Idiomatum* esse traditum, sed simul unâ continuâ explicatione & absq; distinctione adhibitâ doctrinam hanc fuisse explicatam, *Chemnitium* verò ad certum ordinem ista primùm revocasse, quod non obscure confitetur ipsemet, & *Hütter. in Locis Theol. Loc. III. c. 9. f. 155.* annotavit.

§. 2. Non verò suo sensu hinc abundavit, sed in mente ac oculis habuit (1.) rem ipsam in *Scriptura* distinctè satis propositam. Nec enim, inquit, pag. 77. b. similia prorsus sunt, & ad unicum gradum referri omnia possunt, quæ de unitis naturis & de Persona Christi in *Scriptura* prædicantur & enunciantur. Nimirum non unus idemq; modus communicandi est, sed distinctus, prout ex distinctis prædicandi modis deprehendere istum licet. Facta est Communicatio vel ab altera natura ad Personam, id quod arguunt illæ prædicationes, in quibus propria alterius naturæ prædicantur de persona tota ab alterutra natura denominata: vel ab utraq; natura ad personam, id quod in illis videre licet prædicationibus, in quibus Operationes toti supposito tribuuntur & de eo enunciantur: vel ab una natura ad alterutram naturam, quod apertè in illis prædicationibus monstratur, in quibus Idiomata Divina enuncian-

cul

tur de Humana natura. (2.) *Usus Ecclesie Veteris. Vetus Ecclesia.* inquit p. 77. a. doctrinam hanc eodem prorsus modo, distinctè s. per distinctiones, si non peculiaribus appellationibus, reipsa tamen ita tradidit, sicut postea in singulis gradibus s. generibus ostendemus. Nec nova, nec recens, scribit p. 80. a. hæc distributio, sed Veteres, præcipuè verò Cyrillus & Leo & Damascenus eodem prorsus modo ac simili distributione, quod ad res ipsas attinet, doctrinam hanc tradiderunt. (3.) *Necessitatem & utilitatem* etiam attendit Chemnitius. Quamquam enim magnorum ingeniorum ea est felicitas, ut distincta possint absq; Confusione unâ oratione explicare, inquit p. 77. a. attamen fieri non potest, quin explicatio confusione aliquâ turbetur & obscuretur, si ea, quæ distincta sunt, non distinctè explicentur. Loquor autem de methodo, quæ simplicioribus ad docendum & discendum accommodata est. Et p. 80. a. scribit: *Vix fieri potest, ut vel commodè & rectè tradatur & dextrè accipiatur & intelligatur hæc doctrina, quando sine distinctione, & non adhibita aliquâ distributione de ea disputatur.*

§. 3. Ut propterea nemo turbari se patiatur, si viderit, olim non numerata fuisse genera. Rem ipsam Orthodoxi nunquam negarunt, & de *Communicatione Idiomatum*, antiquitus ita dictâ, agentes, nunquam excluderunt cætera genera, sed satis perspicuè id ipsum, quod ad numerum hodie reductum est, ostenderunt & asseruerunt, quod etiam notavit Schroder. in *Sceptro Regali* p. 31.

V. Omnes verò ad tres gradus vel ad tria genera commodè referri possunt, p. 80. a. b.

§. 1. Quia quæstio de numero graduum seu generum Communicationis Idiomatum non ipsam fidem ejusq; constitutionem concernit, sed ad *ῥητορικὰ κριτήρια* & docendi methodum pertinet, non simpliciter atro calculo notari possunt, qui hinc variant; nec offendere quenquam debet, si viderit non omnes Theologos Chemnitio quoad determinationem numeri assentiri, sed quosdam *διχοτομίας* facere, ut Mentzer. in *Anti Martin.* p. 10. seqq. quosdã quaternarium numerum amplecti, rationibus non idoneis, [quas

B

Ger

Gerhard. in Exeg. §. 184. p. 1322. adducit] moti, uti Tubingenses, Brochmandus aliq;

§. 2. In ipsa re nullus est dissensus, & qui ita genera numerant non plus vel minus in re dicunt, quam Chemnitius. Etenim Mentzerus, dum ex duobus primis generibus unum facit, quia ibi Communicatio est naturæ ad personam, statim tamen istud subdividit, in Communicationē quæ est alterutrius naturæ ad personam & quæ est utriusq;. Cæteri verò, qui quatuor genera numerant, ex duobus primi generis modis duo genera faciunt, quæ tamen Chemnitius uni generi subicere voluit, propterea quòd particula distinctiva in utroq; adderetur. Sive enim dicatur: *Christus est passus*, sive, *DEVS est passus*, semper tamen limitativà particula subaudi debet, *in carne*; Neq; enim secundum utramq; naturam æqualiter in primo genere enunciantur, sed secundum unam tantum proprie, uti Dnn. Theol. Saxon. in Apolog. contra Tubing. Sect. 2. c. 6 p. 229. id explicant, & p. 228. monent, semper in primo genere subjectum esse Personam.

§ 3. Et quia ipsa F. Conc. Chemn. sine dubio secuta est p. 743. edit. in 4to vel p. 770. edit. in 8vo. Tribus Capitibus etiam complectitur Communicationem Idiomatum, quo planiorem & intellectu faciliorem eam redderet, meritò in Scholis nostris Theologicis etiam illa; divis retinetur. Vid Hütter. in F. Concord. p. 775. in Loc. Theol. f. 155. Gerhard in Exeg. §. 184. p. 1325. Gesn. in l. de Persona Christi p. 322. seqq.

§. 4. Non verò *τριστοιχία* hæc Chemnitii fundamento caruit suo, sed ex triplici modo prædicandi in Scriptura præ cæteris deprehenso, istam formavit. Nimirum, vidit *Idiomata humana* tribui *Personæ*, vidit *Opus* per unitas utriusq; naturæ operationes productum tribui *personæ*: vidit tandem *Idiomata & ἀρχαῖα Divina* tribui *humane nature assumptæ*, inde non infeliciter tria genera sua formavit, ad quæ cæteros prædicandi modos omnes commodè referri possent. p. 78. seq. Unde monuit Gravver. art. III. A. C. p. 218. quia prædicationes de Christo in Scriptura S. non possunt ad unam eandemq; classera referri, sed triplicis potissimum generis sint, ideò & triplex potissimum Genus Communicationis Idiomatum esse.

§. 5.

§. 5. Hi tres gradus *totam doctrinam de Communicatione Idiomaticum* exhauriunt, ut uno neglecto, vix integra esse possit doctrina ista. Distingvuntur quidem illi gradus, quia simul & semel non omnia possunt dici, sed tamen quæ *distincta* sunt, non sunt divellenda, sed *suo ordine conjungenda*, quæ Observatio itidem Chemnitii est p. 87. a.

VI. Ordo horum generum in methodo doctrinæ arbitrarius est.

§. 1. Etiam qui in *ternario numero* consentiunt, in *Ordine*, à *Chemnitio* & *Formula Concordiæ* observato, dissentire videntur. Quod enim *Genus Secundo* loco à *Chemnitio* ponitur, id illi in *Tertio* collocant, & contra ex eo quod *Chemnitio ac Formula Conc. Secundum est*, faciunt *Tertium*.

§. 2. Sed ne hac ratione ipsi doctrinæ quicquam decedit. Quod enim ex *Tertio* genere fluat *Secundum Genus*, uti quidem à *Chemnitio* illa numerantur, id à *Chemnitio* nunquam negatum fuit, quin potius aliquoties assertum, uti infra cognoscemus. Unde si *Ordinem naturæ* sequi voluisset, omnino etiam hunc *Ordinem* tenere eum oportuisset, quem dum alii sequi malunt, nihil dicunt ac faciunt, quod *Chemnitio* contrarium esse potest.

§. 3. Respexit autem in *Ordine* suo *Chemnitius* præprimis *Ordinem doctrinæ* & 1. ostendere voluit *tertii generis necessitatem*, id quod propria ejus verba in *præfat. l. de duab. nat.* arguunt. Ex *hoc fonte* (ex *Secundo* scil. genere) inquit, *Scriptura deducit Communicationem Majestatis. Cum enim emundare à peccatis & vivificare, Majestas sit Divinæ naturæ CHRISTI essentialiter propria, Scriptura tamen etiam carnem Christi prædicat vivificare s. vivificam esse, Joh. VI. & 1. Joh. I. scriptum est: Sanguis JESU CHRISTI FILII DEI emundat nos à peccatis.* Loquitur autem de *deductione* non quæ à priori fit, & à Causà ad effectum procedit, sed


quæ fit à posteriori ab effectu ad causam; Atq; ita necessitatem tertii generis Communicationis s. tertii modi exprimit, quæ in eo consistit, quòd Secundum Genus stare non posset, nisi daretur Tertium tanquam Ordine Naturæ prius. 2. Ad multitudinem Controversiarum circa tertium Genus hodie exortarum etiam attendit Chemnitius, quas ultimo loco reservare voluit, ne turbaretur vel remotius poneretur Secundum Genus, sicuti etiam ex tractatione ab ipso instituta id manifestum est. Hoc est caput illud, scribit c. XIX. p. 120. de quo nostrâ tempestate magnis contentionibus controversitur, in cujus explicatione multe, magnæ & inexplicabiles sunt difficultates Videatur Hütter. in F. Concord. p. 775. 776. Gerhard. in Exeg. §. 185. p. 1325.

§. 4. Hunc Ordinem cum Numero suo præcipuæ Confessiones Ecclesiæ Lutheranae amplexæ sunt post renovata certamina de Communicatione Idiomatum, quales sunt F. Concord. Art. IIX. p. 745. seqq. ubi expressam mentionem facit trium generum; & Corpus Julium im Bericht von denen fürnehmsten Artickeln Christlicher Lehre. f. 52. S. Sie mögen aber auff's einfältigste zur richtigen Lehre in folgende dreyerley Art und weise abgethetlet und unterschieden werden! &c. Ut non temerè possimus ab eo recedere in doctrina publica.

F I N I S!

AB 42 $\frac{3}{i,9}$

VO 17





Farbkarte #13

B.I.G.

14

is Personalis, *Disput. XIII.*
am, *Respond. M.*
Paulo We-
r *Communicatio* *renberg, Fa-*
cult. Philos.
Assess.

cessarius. Quia enim
Unionem venerunt,
communicatio propieta-
Hinc sicut DEI
a proprietates Huma-
Naturam per *weixw-*
travit, ita etiam suas
e denominationes Idio-
it, post Unionem & ra-
ersona Christi, quam
m hanc fuit) simplex
privatim subsisteret.
a Unio, ubi nulla pro-
m Unitarum Idioma
Naturarum & Unitati
s fingit Unionem sine

i Orthodoxi, qui Com-
nt, & à singulari di-
spendunt, quod etiam
cap. XVII. pag 107 S.
Quod scilicet Divina
Incarnationis mysterio.
Di.